

merces tot *incommodis*, ac periculis nobis constet? Classis stipendiis persolvendis jam tempus adesse; magnam pecuniae vim in muniendis oppidis, atque arcibus impendi; ingenitatem praesidiariorum militum numerum ali; publicas, ac privatas opes exbauriri. Et jam, inquit, iniquo pondere solidi premimur, ut si bis quoque Germanus iste peditatus accedat, vel illum in Illyrico sustentare, vel in Pannoniam in Cæsaris subsidium mittere cogemur: quorum illud Illyrici incolis molestum; hoc pecunia laboranti Republicæ grave, atque intolerandum: errore propterea illos duci, qui ultro a Forijulii finibus in Dalmatiam, nisi forte multiplici stipendio allectos, venturos putarent; domi potius manfuros, Venetaque stipendia opportunius expectaturos; neque eam rem Bajoarie Duces graviter laturos, quod Galiarum Regem, Republica baud dissentiente, sibi conciliare possent. His dictis, ut Germani dimitterentur, decretum est: Cavaccio primores illius gentis muneribus afficiendi, ut milites pacato itinere domum perducerent, facultas missa. Sed nondum acceptis literis, Germani in seditionem versi Cavaccio obnunciarunt, ni sequentis diei initio dimidium menstrui stipendiū persolveret, in Carnos exscensuros, nec, prius quam terna stipendia acciperent, discessuros. Cum ille pecuniae inopia postulatis satisfacere non posset, captivum fecere. Nuntio hujus rei accepto, statim Forojuliensi magistratui pecunia missa, atque ut transitu in Carnos, aditibus occupatis, intercluderentur, jussum est. Sed jam Cavaccius, pecunia inventa tumultu sedato, Germanos dimiserat.

Inde ad pecuniam in sumptus belli undique colligendam conversi Patres, tributo (*taxam* nostrates vocant) civitati imposito; ut iis, qui pecuniam in ærarium conferrent, dum viverent, in singulos centenos anni quatuor & decem a quæstoribus urbanis persolverentur, decretum. Atque ut ex fisci debitoribus, unde ægre exigī pecunia poterat, certa argenti vis colligeretur, latum est; ut quotidie nominibus viginti quinque ex urna sorte extractis, ii, qui plura suffragia supra dimidiā partem in Senatu tulissent, bonis, & corpore ad solutionem cogerentur. Tres insu-

*Germani &  
Venetiis di-  
mittuntur.*

*Constanti-  
nus Cavac-  
cius a Ger-  
manis ca-  
pus.*

*Senatus de-  
creta ad pe-  
cuniam col-  
ligendam.*